

412

410

416

406

421

401

461

361

311

Ende

Anfang

397

habiti. Unde etiam Christiani execrabilem Judam proditorem
sub Typhonis forma depingunt, et rufos homines etiam piissi-
mos subsannant et derident. Sicque culpam, quam non fecerunt,
rufi innocentes luunt. Fabula Osiridis, Isidis et Typhonis ha-
betur lib. I. cap. 4. et lib. II. cap. 4. Antiquarum historiarum
Diodori Siculi.

(152A) Quarto dicitur mons luminum, quia illustraba-
tur a lampadibus et luminibus ecclesiarum, quae in eo erant.
Ibi enim erat ecclesia ascensionis Domini, plena lampadibus,
ut patet fol. 149 A; ecclesia in Galilaea; ecclesia S. Marci;
capella Pelagiae; ecclesia agonizantis Christi; ecclesia
sepulchri beatae Virginis; ecclesia fletus Christi; ecclesia
in Gethsemane; ecclesia in Bethphage; ecclesia S. Jacobi;
et caeterae multae, in quibus omnibus ardebat lampades,
quibus non solum mons Oliveti illustrabatur, sed etiam mons
templi et civitas sancta ex opposito.

Quinto dicitur mons luminum pro eo, quod oleum, nutri-
mentum luminum, copiose ibi crescit. Ideo dicitur mons Oliveti
vel olivarum, quae in magno numero ibi crescunt, sine planta-
tione, et sponte. Et oleum ibi crescens hodie cedit in nutri-
mentum lampadum templi dominici. Et sunt ibi olivae adeo
magnae et vetustae, quod credo aliquas adhuc a tempore
Christi ibi durare. Beatus Augustinus super Johannem dicit,
quod mons Oliveti est mons chrismatis et unctionis, mons pin-
guedinis et refectionis, mons medicaminis et evacuationis. Et
hoc dicit propter olivarum ibi crescentium abundantiam, qua-
rum fructus est unctuosus, humosus, et deliciosus, quia, ut
dicit Isidorus, oleum olivae ex radicis amaritudine surgit in pa-
bulum luminis, in medicamentum vulneris, et in reflectionem
esurientis.

Sexto dicitur mons luminum pro eo, quia, cum sit altior
omnibus montibus, et per circuitum potest homo longe lateqae
luminibus oculorum suorum prospicere. Ut patet fol. 148 A.

Septimo dicitur mons luminum, quia delectabilis est ad
videndum, et visum recreat e regione videntis. Sunt enim in
eo horti olivarum et ficorum, malogranatorum, et caeterarum.
Olim ad radices ejus crescebant cedri et cypresi et vites
et omnia, quae desiderantur. Et tantum de illo. De hoc

